

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XVII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

dibaphum vestiant. loquitur enim de auguratu Q. Metelli Celeris, paullo ante mortui, cuius in locum Vatinus surrogari cupiebat: quod ex oratione in ipsum facile cognoscitur.

Insector moratur] Vide, inquit, qui status reipublicae sit: audet Curtius dibaphum cogitare: sed, quod cogitat, non facile consequetur: vel quia Caesar differt: vel quod is est, qui nullo modo auguratum populi comitiis obtinere possit. vt, *insector*, vel de Caesare dicatur, vel de ipso populo, cuius suffragiis hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus, tribunus plebis. qua de re pluribus verbis in libro nostro de Legibus.

Tamen in stomacho] Quamquam sim iratus. est enim in stomacho sedes iracundiae. hinc *stomachum facere*, pro, iracundiam commo-

vere, lib. I. epist. 9. et *stomachofae litterae*, iracundiae, lib. 3. epist. II. Stomachabatur autem, quod toga praetexta Oppio texeretur, quod Curtius dibaphum cogitaret: quae, si quiescit respublica esset, sperare non auderent. *Ridere in stomacho*, leporem quendam habet e contrariorum societate: vt lib. I. epist. 9. *sed in molestia gaudeo*. Quo loco plura.

Ridere] Iocari. nam in eo iocus est, *eum insector moratur*. Iussisse enim videtur, *dibaphum insector*.

Videas] Curam suscipias, vt eius incommotis, si fieri potest, medeare.

Quibuscumque erimus in terris] Haec verba cogitare omnino de discessu Ciceronem significant: et si possunt etiam ad solitudinem referri.

Tua fides] Quae cum amicitiae nostrae, tum consuetudini quoque tuae debetur.

EPISTOLAE XVII.

ARGUMENTVM.

Sallustius Bibulo proconsuli quaestor erat in Syria. eius binis litteris Cicero respondet, prioribus multa, eodem ordine, quo scripserat Sallustius, posterioribus causas exponit, cur eum Bibulo commendare non debeat: se tamen eius voluntati morem gessisse significat. L. Paullo et C. Marcello coss.

EXPLANATIO.

Caninio Sallustio] Moneo lector, in omnibus antiquis libris, quos quidem aut habeam nunc, aut umquam habuerim, *Caninio*, legi: quod si mendo vacat, legendum fortasse, *Caninio Sallustiano*, id est, e Sallustiis in Caninios adoptato. certe *Caninio Sallustio*, iunctis dua-

rum familiarum nominibus, emendatum esse non potest. Mediceus liber, *Caninio Sallusti*. in eiusdem tamen libri indice, *Sallustium*, omisso *Caninii* nomine. Sunt, qui ex ingenio legant, *C. Sallustio*.

Proquaestori ERN. Procos.] Secutus sum meos veteres libros: N quibus

quibus in omnibus est, *Procos.* non *Proquaes.* etsi nouum omnino videtur, cum proconsul adhuc in prouincia sit, alterum eodem nomine appellari. nondum enim Bibulus de prouincia decesserat. fieri tamen potest, vt Caninius hic a Bibulo, breui discessuro, prouinciae praeponebatur, potestate in eum translata. et fortasse cognomen ei fuit Veientoni. nam Bibulus decessens prouinciae Veientonem praefecit. lib. 7. epist. 3. eodem modo *proconsul* appellatur P. Sextius lib. 5. epist. 6. qui tamen quaestor cum Antonio proconsule in Macedoniam profectus erat. quo item in loco mendum cum irrepsisset in recentiores libros; et *Proquaestori*, legeretur; nos e septem antiquis, *Proconsuli*, reposuimus.

Litteras] Binas: nam infra nominat eius alteram epistolam.

Stator tuus] Indicat hic locus, quaestores, item vt proconsules, statoribus vsos esse. lictoribus autem et viatoribus carebant, vt ex Varrone docet Gellius lib. 13. c. 12. itaque nec vocationem, nec prehensionem habebant.

Tarsi] Vrbs Ciliciae fuit, quo se Cicero contulerat Non. Iun. lib. 6. ad Attic. epist. 4.

Nec quemquam fore arbitror] Non fefellit eum coniectura. nemo enim successit, impedimento prouinciis omnibus obiecto, quia senatus consulto de prouinciis intercessum a tribunis plebis, ne successor Caesari mitteretur. vide lib. 8. epist. 5.

Ad diem] Venerat in prouinciam pride Kal. Sext. vt scripsit lib. 3. epist. 6. eodem die igitur decedendum erat, anno confecto III.

Kal. Sext. De quo sic lib. 6. ad Attic. epist. 2. *Annuae mihi operae a. d. III. Kal. Sext. emerentur.* Et ibidem, 3. *Mihi a. d. III. Kal. Sext. de prouincia decedendum est.*

Ciceronum causa puerorum] Lib. 6. ad Attic. epist. 7. *Rhodum volo puerorum causa: inde quamprimum Athenas.*

Reipublicae] Cuius turbulentum esse statum si cognouero, subsistam in itinere.

Successor tuus] Marius, quem nominat infra.

In Asia] In ea parte Asiae, quae ad Ciceronis prouinciam pertinebat: tres enim ei Asiae dioeceses attributae erant. lib. 13. epist. 67.

De rationibus referendis] Lex Iulia, quam C. Iulius Caesar consul tulerat, prouinciarum rationes referri iubebat. eam legem, quia contra auspicia lata esset, Bibulus, Caesaris inimicus, seruare volebat: quem Sallustius decreuerat imitari. lib. 5. epist. 20. et orat. in Pisonem c. 25.

A Bibulo] Syriae proconsule. Praefuerunt Syriae, vt a primo incipiam, consularis Pompeius Magnus, mox ab eo decedente praepositus, quaestor M. Aemilius Scaurus; praetorii, L. Marcius Philippus, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus; consulares A. Gabinius, M. Licinius Crassus, M. Calpurnius Bibulus, quaestor Caesaris, Sex. Iulius Caesar, Decidius Saxa. Haec ex Appiano, Dione, aliis.

Certa quadam ratione] Propter inimicitias et contentiones in consulatu: cum Bibulus, Caesare legem ferente, impediendi causa de

de caelo feruaret; Caesar autem, contemptis auspiciis, nihilo fecius legem perferret. Suetonius, Plutarchus, alii.

Apamea] Probo coniecturam eorum, qui *Epiphanes* legunt: quae erat urbs periculo Parthici belli multo propinquior, quam Apamea. De Apamea Strabo lib. 16. et ait esse conditam a Seleuco Nicatore, Apameamque ab eius uxoris nomine nuncupatam. eandem Phrygiarum urbium maximam, et commune Graecorum Italicorumque hospitium fuisse, conditamque non a Seleuco; sed ab eius filio Antiocho, a se ipso dissentiens ait lib. 12.

Deduci] A me.

Non oportuisse] Obirruptiones Parthorum.

Ceteros] Malim, certos, ut est in duobus antiquis libris: ne sit communis omnium, sed quorundam tantum opinio de praesidio non deducendo. alioqui paucis versibus pugnantly loqueretur: cum subiungat: *Omnia praesidia, commotus hominum non dubio sermone, dimisi.*

Minus commodos] Cum aliqua contumelia, parum gratos. *Litterae commodae*, dixit lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

Transferint] Euphratem, domum redeuntes. confirmatur infra, iis verbis, *commotus hominum non dubio sermone, dimisi.* Euphrates autem imperii Romani ad Orientem terminus fuit.

Omnia praesidia] Non Apameae tantum, sed locis pluribus collocata.

Magna et firma] Magna militum numero; *firma*, usu belli, et fortitudine.

Mei quaestoris] Non C. Coelii, sed Melcinii. quod ex lib. 5. epist. 20. et lib. 13. epist. 26. cognoscitur.

Apameae] De Apamea iam statuerat; nondum fortasse de Laodicea. quod ideo dico, quia lex Italia rationes deponi non apud unam, sed apud duas ciuitates iubebat, et earum exemplum ad urbem deferri, itaque deposuit eas Cicero Laodiceae, et Apameae. lib. 5. epist. 20.

De praeda mea] De tota praeda, me imperatore facta.

Quaestores urbanos] Ad quos, Romam reuersus, praedam in bello factam deferre cogitabat. hoc modo coniungendum: praeter quaestores urbanos, ne teruncium quidem tacturus est quisquam.

Populum Romanum] cuius pecunia curabatur a quaestoribus urbanis.

Teruncium] Argenteum nummum, a tribus uncis appellatum: respondebat aereo quadranti: ut esset quarta pars libellae: quae erat argenteus nummus, ita nominatus, quia valore assis aereo librali responderet. imminuto postea assis pondere, libellae tamen vetus nomen mansit, habita ratione libralis assis, qui principio Romae percussus est.

Laodiceae] Hanc urbem numero inter Asiaticas tres *diuinae*, Ciceronis imperio attributas; cum in eorum imperio soleret esse, qui Asiae praeerant. vide lib. 13. epist. 67.

Praedes] Ut, quantum hic pecuniae depono, tantum mihi Romae ex permutatione numeretur.

Et mihi et populo] Eius enim pecuniae pars ad ipsum, reliqua ad populum Romanum pertinebat.

Drachmis] Drachmarum octo genera fuere, Attica, Euboica, Babylonica, Corinthiaca, Aegyptia, Aeginetica, Hebraica, Syriaca. Sed Atticam duplicem inuenio, priorem vsque ad Solonem obseruatam, posteriorem a Solone inductam, minore quidem pondere, sed eodem, vt arbitror, numero in mina. Solonis enim drachmae leuiiores antiquis erant quarta parte ipsarum antiquarum: vt nonaginta sex Solonis drachmae non plus ponderis haberent, quam septuaginta duae superiores. quod ex Plutarcho videtur posse conicere. ait enim, centum drachmarum a Solone minam esse factam, cum antea septuaginta trium fuisset. quibus verbis non id, opinor, significat, pauciores in mina drachmas ante Solonem fuisse: (nam mihi non fit verissimile, variatum esse in Attica mina drachmarum numerum: licet Fannius et Priscianus, inter se quoque dissidentes, ille septuaginta quinque, hic octuaginta drachmarum minam constituent) sed illud, centum drachmas, a Solone percussas, non plus habuisse ponderis, quam septuaginta quinque superiorum temporum. quod idem erat, si dixisset, e drachmarum septuaginta quinque veterum pondere novas centum a Solone factas. In quo illud operae pretium est animaduerti; cum dicimus in mina drachmas centum fuisse, drachmas quidem centum numero significari, sed pondere tantum nonaginta sex; cum in eo pondere centum ferirentur, quattuor centesimas lucrante officina. ita septuaginta duae pondere, numero erunt septuaginta quinque; et quadraginta octo, quinqueaginta: et viginti quattuor, vi-

ginti quinque: cum drachmam vnam in viginti quinque officina lucretur: quae sunt duae in quinqueaginta, et tres in septuaginta quinque, et quattuor in centum: quas modo centesimas quattuor appellauimus. De hoc posteriore drachmarum genere, a Solone inducto, loquitur Liuius lib. 34. c. 52. cum ait, in tetradrachmo denarios fere tres inesse, ex quo fit, vt, cum in mina sint tetradrachma viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, drachmae centum numero, pondere autem nonaginta sex, in eadem mina sint denarii ter viginti quinque numero, pondere autem viginti quattuor, id est, septuaginta quinque numero, pondere septuaginta duo. Nec vero, quia Liuius addidit, *fire*, propterea quisquam dubitet. nam, cum monetae pondus paululum nonnumquam et apud Graecos, et apud Romanos imminui non ignoraret, ideo, veritus, ne quando tetradrachmum, et denarii tres officinarum fraude minae aequarentur, de incerta re sibi plane affirmandum iure non putauit. Cum igitur et denarius et antiqua drachma aequae superent Soloninam drachmam quarta vtriusque parte, tertia vero Soloninae; patet, eiusdem esse ponderis denarium et antiquam drachmam; et ex eo sequi, vt septem antiquae drachmae in vncia Romana feriantur, aequae ac denarii: in vncia vero Attica denarii octo, aequae ac drachmae. Sed, quoniam Solon, cum drachmae pondus minuit, id maxime secutus est, vt debitores onere leuantur aeris alieni; propterea drachmae pondus in moneta dumtaxat imminutum, in medicinis autem videtur idem remansisse,

manasse, ut a denarii pondere nihil differret. ideo scripsit Plinius lib. 21 c. vlt. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus*. fere enim Attica observatione medici utuntur. Quod si ita est: mirari non satis possum, cur et Varro apud Plinium, et Festus, et Pollux de priore drachma, quasi adhuc in moneta etiam, non in medicina tantum, observaretur, ita loquantur, tamquam Solonina obsolevisset. aestimant enim talentum sex millibus denarium. qua aestimatione denarium drachmae respondere perspicuum est. quod refellit Liuii locus supra recitatus. Huius explicandae quaestionis non equidem rationem ullam inuenio: neque me vel Budaei doctrina, vel Agricola diligentia, vel omnino cuiusquam libri iuuant. non enim affirmare ausim, quod interdum cogitavi, L. Sullam, captis Athenis, leges, et instituta, simulque drachmam a Solone inductam, immutasse: cum id neque Plutarchi, nec omnino cuiusquam antiqui scriptoris testimonio comprobetur quare scrupulum saltem, qui me angit, occultandum non putavi; ut haberent alii, quo ingenium intenderent; cum ipse, quantum res postulat, praestare non possem. De mina vero, siue illa antiqua, siue posteriore, a Solone inducta, hoc amplius dixerim, neutram librae Romanae aequalem pondere fuisse. antiqua enim grauior, posterior leuior, quam libra, fuit. probemus utrumque. In Solonis mina denarios tantum fuisse septuaginta duos, cum de tetradrachmo ageremus, ostendimus. at in libra Romana denarios octuaginta quattuor Plinius et Celsus ponunt. sunt igitur in li-

bra Romana duodecim denarii plures, quam in mina Solonina. quod idem est, ac si dicas: libra superat pondere minam Soloninam septima sui parte, sexta Soloninae. In drachma vero antiqua si tantumdem est ponderis, quantum in denario; quod iam probatum est: sequitur, ut, quemadmodum drachmae sunt in mina nonaginta sex, item denarii totidem in libra sint. quod falsum est. fuere enim tantum octuaginta quattuor. ita fit, ut libra pondere superetur a mina antiqua septima sui parte, octaua vero minae. Verisimile autem est, libram Romanam, quemadmodum ab Attica utraque mina differt, sic Euboicae respondere: quia maior Africanus, cum Antiocho regi tributum leges imponeret, talenta Euboica praescripsit; quasi nihil, aut certe parum Euboica mina differret a libra Romana. Concludimus igitur sic. Octo drachmae antiquae Atticae aequales pondere sunt octo denariis; octo Soloninae, sex denariis; octo Euboicae, septem denariis. Nunc, ut nihil omittatur, quod ad drachmarum cognitionem pertineat, omnes omnium gentium aestimabimus, apposita moneta Romana, primum vetere, deinde recentiore.

Drachma Attica, ante Solonem, eiusdem fuit cum denario ponderis, et valuit asses sedecim, id est, denarium vnum. loquor enim de denario posteriore, ad sedecim asses aucto, bello Punico secundo. asses vero sedecim, baiocci Romani sunt duodecim, et sex septimae alterius baiocci.

Drachma Solonis asses duodecim: baiocci nouem, et fragmenta, eadem proportionem.
 Euboica, Romanae vnciae octava pars, asses quattuordecim: baiocci vndecim, et fragmenta.
 Babylonica, asses sedecim cum triente: baiocci tredecim, et fragmenta.
 Corinthiaca, asses sedecim cum besse: baiocci tredècim, et fragmenta.
 Aegyptia, asses decem et octo, cum besse: baiocci quindecim.
 Aeginetia, et Hebraica ciuilis, asses viginti: baiocci sedecim, et fragmenta.
 Hebraica sacra, asses quadraginta: baiocci triginta duo, et fragmenta.
 Syriaca, asses quadraginta octo; baiocci triginta octo, et fragmenta.
 CCCIDDD] Centum millibus: quae sunt quadraginta millia festeriorum: si modo drachmae Atticae sunt, non Syriacae: quod interdum dubitauit: cum hic Sallustius e Syria scripserit, in qua Bibuli quaestor fuit. haec porro summa duodecim scutatorum millia nostratis pecuniae conficiet. Harum notarum, numerum indicantium, quae fuerit olim origo, etsi ante multos annos exposui in Commentario epistolarum ad Atticum lib. I. epist. 6. tamen hic me locus admonet, ne silentio praetermittam. Numerorum notas primum quinto loco veteres variarunt, deinde decimo, mox quinquagesimo, tum centesimo, eodem in reliquis ordine conseruato, mutato numeri signo, quoties numerus a quinario ad duplum, et a duplo rursus ad quingarium peruenisset.

Prima nota fuit, I, vnus, vsque ad quattuor iterata.

Secunda nota, V, quinque, in quinario primum numero variata.

Tertia, X, decem, in duplo quinario, vt iam dixi, mutationem recipiens.

Quarta, L, quinquaginta, aucto post tertiam notam, id est, post, X, in quincuplum numero.

Quinta, C, centum, duplicato quinquagenario.

Sexta, ID, quingenta, et hic quincupli ratione seruata.

Septima, CID, mille, habita dupli ratione.

Octaua mutatio fuit, cum ad quinque millia peruenissent, nam, ne toties CID iterarent, his notis vsi sunt, IDDD.

Nona mutatio, a quincuplo in duplum, recepit has notas CCIDDD, decem millia.

Decima, a duplo in quincuplum, IDDD, quinquaginta millia.

Vndecima, et vltima, a quincuplo in duplum, CCCIDDD, centum millia.

Nec vltra notarum mutatio progressa est. non enim veteres, vt ait Plinius, vltra centum millia numerabant, quod si ducenta, [vel trecenta, aut quadringenta millia significari oporteret; has notas, CCCIDDD, bis, ter, quater, et, si opus esset, saepius iterabant. cuius exempla moris et in libris, et in antiquis lapidibus exstant. Sunt igitur notae omnino vndecim variae, deinceps a nobis demonstratae, tamen iterandae.

I, vnus:

V, quinque:

X, de-

X, decem:

L, quinquaginta:

C, centum:

LD, quingenta:

CID, mille:

ICD, quinque millia:

CCICD, decem millia:

ICDD, quinquaginta millia:

CCCCID, centum millia.

Quam cognitionem legentibus non iniucundam fore, sum arbitratus.

Hoc etiam adiungam, a prima nota, I, ceteras omnes fluxisse. nam, V, duae primae notae sunt, infima parte coniunctae. item, X, est quinary numeri nota duplicata, cum duae, V, in acuto angulo coniungantur. at, L, quid est, nisi prima illa nota, I, recta, et altera prostrata, simul iunctae? quod si addideris in summa parte aliam primam notam, item prostratam: fiet **C**, centum. non enim priscis temporibus, pro centum, scribebant, C, quod ad aetatem nostram permansit, sed,

C: quae erant tres primae notae confociatae, vna recta, duae prostratae, cum recta coniunctae, vna in superiore parte, altera in inferiore. Quingenta vero fecerunt, addita ad tres notas, quas proxime nominaui, quarta recta, cum duabus prostratis coniuncta, hoc modo, **LD**. qua figura duplicata, fecerunt mille hoc modo, **ICD**: vnde postea, librariorum arbitrio, variae notae, quae mille significarent, factae sunt, quarum nonnullas ostendemus. nam ex **ICD**, fieri coeptum est **ICD**, et **ICD**, et **CID**, et **CD**, vnde M deriuatum, quo pro mille hodie quoque utimur: cum olim nota fuerit, non littera.

Praeda] Vniuersa praeda, ex Amano monte direpto ac vastato. nam, Pindenisso capto, omnem praedam, equis exceptis, Cicero militibus concesserat. quod ipse scribit lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Omnis enim pecunia — a quaestore recuretur] *Praeda* vocatur id, quod ex hostibus partum, nondum neque diuisum est, neque vrbani quaestoribus traditum, vt ii mox in aerarium inferrent. post diuisionem *praeda* non dicitur. ideo *praedam* Cicero vocat eam pecuniae partem, quae, venditis mancipiis, bello captis, exacta, ad populum Romanum pertinebat: partem autem sibi attributam, non iam *praedam*, sed *pecuniam* appellat. Mancipia vero tantum nominaui, quia reliqua omnis praeda, equis exceptis, militibus concessa. qua de re sic lib. 5. ad Attic. epist. 20. *Militibus, equis exceptis, reliquam praedam concessimus. mancipia vae-nabant Saturnalibus tertiis. Cum haec scribebam, in tribunali res erat ad H-S CXX.* Quod ad praefectos, praedae custodes, attinet: ne lector communi vocabulo decipiatur, dicendum est, quot genera praefectorum in Ciceronis prouincia fuerint, et quinam hic significantur. Genera igitur fuere quattuor, vnum eorum, qui equestribus turmis praeerant: alterum, qui euocatis: tertium, qui, quibus in ciuitatibus proconsul assidue commorari non posset, in iis ipsi ius dicerent, et in extremo anno ad generales conuentus, a proconsule indictos, proficiscerentur, vt, si quid in ciuitatibus perperam iudicassent, querelas omnium proconsul audire, et rescindere praefectorum sententias posset. Quartum genus fuit praef-

praefecti fabrum, vel praefectus potius: nam vnum duntaxat habuisse Cicero videtur. De singulis, quantum res patietur, breuiter agemus, vt antiquitatis notitia, minimo studiosorum labore, minima molestia, propagetur. Cum singulis legionibus, vetere Romuli instituto, tercenj erant equites: qui dicebantur *alae*: quod iis pedites dextra sinistraque, tamquam alij, tegerentur. Gellius lib. 16. c. 4. et Seruius in lib. 4. Aen. v. 121. *Dum irrepidant alae*. item Liuius lib. 40. c. 40. Diuidebantur in decem turmas; turmae singulae in tres decurias: singulis decuriis praecerant, qui *decuriones* vocabantur: sed horum vnus, reliquis duobus honoratior, non suae tantum decuriae, sed turmae etiam praecerat: itaque *praefectus*, non *decurio*, dicebatur: reliqui autem duo, *decuriones*. Erant igitur in decem turmis decem praefecti, praeterea viginti decuriones. omnibus autem decem turmis, id est, alae, vnus praecerat, nec tamen is erat summus equitum dux in exercitu. nam principem locum obtinebat is, qui non vni alae, id est, decem turmis, sed vtrique alae, vel etiam pluribus, cum essent plures in exercitu legiones, praeesset. quod probabitur exemplis. De praefecto turmae sic in orat. pro Marcello c. 2. *Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit*. Praefectum vero alae nouimus lib. 2. de Offic. c. 13. *Cum te Pompeius alae alteri praefecisset*. Porro, cum Plutarchus dicat, in exercitu Pompeii praefectum equitum Pharsalico proelio Labienum fuisse; quis eum putet, qui legatus Caesaris Gallico bello

per tot annos fuerat, resque gesserat non mediocri laude dignas, in castris Pompeii, ad quem, relicto Caesare, transit, vnus tantum legionis equitibus praefuisse? equidem nihil dubito, quin praefectura significetur omnium plane equitum, qui cum Pompeio militarent. idemque sentio de Caesarianorum equitum praefecto C. Voluseno: de quo scripsit haec Caesar lib. 3. de bell. ciu. c. 60. *Conati sunt praefectum equitum, C. Volusenum, interficere, vt cum munere aliquo profugisse ad Pompeium viderentur*. Nominat idem Caesar eodem libro c. 37. Q. Varum praefectum equitum C. Domitii Caluini, id est, duarum legionum, de quibus paullo ante mentionem fecit. De his igitur et alae vtriusque, (nam duas legiones Cicero habuit in prouincia) et turmarum quoque praefectis loquitur Cicero in hac epistola. nam praefectis fabrum, aut iuris dicundi, ac ne euocatorum quidem, praedae conseruandae curam commissam esse, non est vt credatur. de iisdem equitum praefectis lib. 3. epist. 8. et lib. 5. epist. 20. et lib. 5. ad Attic. epist. 17. mentionem Cicero facit: quo in vtroque loco cum tribunis militum eos nominat: itemque lib. 3. in Verrem c. 58. *Quaestores, inquit, legatos, praefectos suos, tribunos multi missos fecerunt, et de prouincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commode audire arbitrantur*. Et in orat. pro Cluentio c. 36. *Non recito testimonia hominum honestissimorum, quae in Stalenum sunt dicta ab iis, qui M. Aemilio, clarissimo viro, legati, et praefecti, et tribuni militares fuerunt*. Eisdem coniunxit Caesar lib. 1.

lib. 1. de bell. ciu. c. 21. *Tribunos militum et praefectos circummittit.* De praefecto autem euocatorum lib. 3. epist. 6. De iis, qui ius dicerent, lib. 5. ad Attic. epist. 4. 7. 11. 21. et lib. 6. ad eundem epist. 1. 2. 3. quibus Cicero amicorum rogatu, aut iudicio suo praefecturas detulit iuris dicundi in ciuitatibus, iis reiectis, qui negotiarentur, ne iustitiam lucri cupiditas perturbaret. Praefectus fabrum Ciceronis vnus tantum appellatur Q. Lepa lib. 3. epist. 7. nec plures vno fuisse crediderim: quamquam, vt dixi, duas legiones Cicero habuerit: quod ipse ad Atticum scripsit lib. 5. epist. 15. et Plutarchus in eius vita confirmat. nam, si, quot legiones in exercitu, totidem praefecti fabrum fuissent: haud valde esset honestatus a Caesare familiarissimus eius, Cornelius Balbus, cui praetor et consul praefecturam fabrum detulit: vt est in oratione pro ipso habita c. 28. nam, quod ait Caesar in epistola ad Oppium et Balbum, lib. 9. ad Attic. epist. 28. *Duo praefecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt:* Q. Vibullium Rufum, Corfinii captum, et Cn. Magium, in itinere deprehensum, significat: quorum vtrumque in binis legionibus praefectum fabrum arbitror fuisse: vt duorum consulum exercitus, qui a Pompeio regerantur, duos omnino praefectos fabrum habuerint. duas enim legiones, dixi iam, consularem exercitum fuisse. sic igitur in consulari Ciceronis exercitu, id est, in duabus legionibus, praefectus fabrum vnus fuit Q. Lepa. quod eo magis arbitror, quia vnus etiam praefectus fabrum Ap. Claudii nominatur, lib. 3. epist. 8. Hos praefectos

omnes, exceptis ius dicentibus, opinor in proconsulis cohorte praetoria fuisse, eosque in prouinciam ab vrbe deductos. quos autem in tertio genere posuimus, id est ii, qui ius dicebant, non fuisse de cohorte praetoria, sed longe a proconsule diuersis ciuitatibus iurisdictionem habuisse. in hoc numero locum Scaptio petiit a Cicerone M. Brutus, vt lib. 5. ad Attic. epist. 21. et lib. 6. ad eundem epist. 1.

Mibi attributa est] Quae manubiae vocabantur: ex quibus publica monumenta plurimi fecerunt, Q. Catulus e Cimbricis manubiis porticum in palatio, quam P. Clodius, Ciceronis aedibus adiunctam, euertit, L. Metellus Dalmaticus aedem Castoris: alii alia.

A quaestore] Vtrum L. Mescinio Rufo, ad quem sunt epistolae tres vltimae lib. 5. quique nominatur lib. 13. epist. 26. et lib. 16. epist. 6. an C. Coelio Caldo, ad quem scribit epistolam vltimam huius libri, et quem epist. 15. nominat. Mescinium omnino significari puto, qui rationes prouinciae cum M. Minidio fratre, et cum scriba Ciceronis administravit. nam C. Coelius sero admodum in prouinciam venit, vt ex epist. vlt. cognoscitur.

De legionibus] Festus ait, C. Marium legionem primum conscripsisse sex millium, et ducentorum hominum, cum antea quattuor millium fuisset, vnde etiam *quadrata* appellabatur. sed Festum refellere videtur Lilius lib. 29. c. 24. cum ait, legiones ita suppletas esse, vt singulae sena millia, et ducentos pedites, trecenos haberent equites. et alibi saepe. Quod si ita est; non primus C. Marius legionem conscripsit

. N 3

scripsit

scripsit sex millium, et ducentorum hominum. Verum Festi opinionem Polybius probat lib. 6. et fortasse Liuius non de ordinaria legione, sed de aucto extra ordinem, cogente bello, militum legionariorum numero locutus est: nam, et sociorum numerum in castris Romanis, quos altero tanto plures, quam Romanos in castris ex formula foederis esse debuisse, Liuius lib. 3. et 8. Velleius lib. 2. ostendunt. non eundem semper fuisse, sed pro consulum arbitrio, ex eodem Liuius constat lib. 21. 47. 43. primum igitur ordinarium in legione sex millium et ducentorum militum numerum C. Marius fecit, cum antea ordinarius esset numerus quattuor millia, ut ait Festus, vel, ut Polybius, quattuor millia ducenti: (nam veteres non omnino subtiliter numerum semper definire soliti sunt) interdum autem, ne numerum legionum, quae binae singulis consulibus dabantur, augerent, milites addebant legionibus, sed extra ordinem.

In Syriam] Quae Syriac contra Parthos praesidio esset.

Otium esse in Syria] Sublato metu Parthico. *Otium* pro pace vsurpauit et lib. 1. de Offic. c. 22. *Nobis rempublicam gubernantibus, non rogae arma cessere? neque enim in republica periculum fuit grauius vnquam, nec maius otium.*

Marium successorem] Sallustii: nam Bibulo, quemadmodum Cicero, successor nemo fuit, ob discordias inter Caesarem et Pompeium exortas, quod Cicero futurum divinans, dixit supra: *De successore meo nihil audiui, nec quemquam fore arbitror.* Et Coelius lib. 8.

epist. 5. *Successionem futuram, propter Galliarum controuersiam, non video.* Et paulo post: *De Galliis constituetur: erit, qui intercedat: dei de aliis exisset, qui, nisi libere liceat de omnibus prouinciis decernere senatui, reliquas impediat.* Cum igitur omnium prouinciarum successio impedita sit: malim credere, Sallustii potius, quam Bibuli, successorem hic significari. Victo Pompeio, Syriae praefuit, iussu Caesaris, ut ait Dio lib. 47. Sex. Iulius. Caesaris quaestor, ac propinquus: mox Decidius Saxa, ab Antonio praepositus, ut idem Dio scripsit lib. 48. ante Bibulum autem Syriae praefuerat Crassus, qui perijt in Parthis; ante Crassum Gabinius; ante Gabinium Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ex praetura; ante Marcellinum L. Marcius Philippus, item praetorius; ante Philippum M. Aemilius Scaurus, quaestor Pompeii Magni, ab eo decedente praepositus; ante Scaurum Pompeius ipse, qui Mithridatem deuicit.

Sine causa] Immo grauem ob causam: cum Cicero Marcellino et Philippo cons. auctor senatui fuisset, ut Caesari ob res in Gallia prospere gestas quindecim dierum supplicatio decerneretur, item ut stipendium ac decem legati decernerentur. quae bilem omnibus Caesaris inimicis maximam commouerunt, praecipue Bibulo, qui consul cum Caesare collega acerrime de republica contenderat. Laeferat igitur Bibulum Cicero in ornando Caesare, de ipsius tamen existimatione nihil detraxerat, propterea ait, *sine causa.*

Antiochiae] Ex qua Parthos C. Cassius, quaestor M. Crassi, iam reie-

reie-
epist.
21.
dicer
O
enim
roru
Lib.
c. 19
P
bulu
land
fulat
tic.
conf
Quin
esse
sue
item
ego,
dum
Asia
na l
tem
pro
ne
prae
quo
bell
tra,
iuen
voca
et p
Opp
prae
zore
c. 2
tum
prae
tum
naci
por
I
thie
tic.

reiecerat. epist. 10. et lib. 15. epist. 4.

Metus] Cum aduentare Parthi dicerentur.

Officio quaestorio] Quaestoris enim et praetoris coniunctio liberorum necessitudini proxima fuit. Lib. 13. epist. 10. Et in *Diuinat.* c. 19.

Praetore] Praetor vocatur Bibulus, qui proconsul videtur appellandus fuisse: iuit enim post consulatum in Syriam. sic lib. 5. ad Attic. epist. 21. *Quod praetori dare consueissent.* Quo loco praetori, dictum est, pro omnibus, qui praefesse Ciliciae, siue post praeturam, siue post consulatum, consueuissent. item lib. 1. de Orat. c. 17. *Cum ego, inquit Scaeuola, praetor Rhodum venissem.* qui proconsul in Asiam ibat: vt ex Epitome Liuiana lib. 70. cognoscitur. Mansit autem hoc nomen in omnibus, qui prouincias regerent, habita ratione illorum temporum, cum soli praetores in prouinciam ibant: quorum loco iure postea propter bella consules et proconsules. Contra, qui ex praetura in prouinciam iuerant, et *proconsules* interdum vocati, vt ostendimus lib. 1. epist. 1. et praetores, vt lib. 13. epist. 55. et Oppius Allienum, Siciliam post praeturam administrantem, *praetorem* vocat in lib. de bell. Afric. c. 2. Alconius quoque magistratum omnem, cui pareret exercitus, *praetorem* a veteribus ait appellatum: vnde *cohors praetoria, tabernaculum praetorium*, et in castris *porta praetoria*. lib. 1. epist. 1.

Reticere] Cum tamen de Parthico bello scriberet. Lib. 6. ad Attic. epist. 5.

Thermum] Q. Minucium Thermum, Asiae propaetorem, ad quem scribit epistolam sequentem, et lib. 13. epist. 53. 54. 55. 56. 57.

Litteram] Ne litteram quidem scripsit, non modo epistolam. sic in orat. pro Archia c. 8. *Quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum egerentur, dicere ex tempore?* Et lib. 1. de Orat. c. 19. *De conformandis hominum moribus littera in eorum libris nulla inueniretur.* Et in Pison. c. 19. *Nullam sit ad senatum litteram mittere ausus.* Haec de re sic lib. 6. ad Attic. epist. 5. *Bibulus molestus mihi non erat; de omnibus rebus scribebat ad me potius.*

Periculum pertinere] Quia Cilicia Syriam attingit. epist. 10.

De auguratu] Vt eius filius in locum alterius filii auguris, quem Alexandrini equites occiderant, surrogaretur.

Misericordia] Bibulo duobus filiis orbato. de quibus Valerius Max. lib. 4. c. 1. his verbis: *M. Bibulus, cum in Syria moraretur prouincia, duos egregiae indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit. quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, vt grauissimae cladis ultionem arbitrio suo exigeret. at ille, oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit; carnificesque sanguinis suae intactos e vestigio ad Cleopatram reduci iussit, dicendo, potestatem huius vindictae non suam, sed senatus esse debere.* Et Caesar lib. 3.

de

de bell. ciu. c. 110. Erant praeterea equitum millia duo. Inuenerant hi omnes compluribus Alexandriae bellis; Ptolemaeum patrem in regnum reducerant; Bibuli filios duos interfecerant. Id etiam significatur lib. 6. ad Attic. epist. 5. Cum arderet Syria bello; et Bibulus in tanto moerore suo maximam curam belli sustineret.

Bibulo] Adolescenti, qui de tribus Bibuli filiis superfueraat vnus.

Dedi operam] Ipsius causa non debui, tamen operam dedi, misericordia coactus, et quod eius filium semper dilexi.

Populi pecunia] Quam ex ipsius provincia Syria, et ex mea Cilicia collectam, Romam ad quaestores urbanos deferendam simul curauimus.

Permutaretur] Permutari pecunia dicitur, cum alicubi numeratur, quae alibi soluitur, eius periculo, qui permutandam suscepit.

Alariis] Erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, et auxiliares. *alarii* dicebantur auxiliares, quod iis, tamquam alis, pedes tegerentur. Cincius apud Gellium lib. 16. c. 4. *Alae dictae exercitus, equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tamquam alae in animum corporibus, locabantur.* Et Seruius in illud Virgilii lib. 4. Aen. v. 121. *Dum trepidant alae:* subiunxit haec: *Alae, equites, ob hoc alae dicti, quia pedes tegunt alarum vice.* In alis autem auxiliares potius equites, quam legionarios, locari solitos, tum in hoc loco, (sequitur enim *auxiliariis*: qui iam dicti sunt *alarii*) tum in aliis obseruauimus. Caesar lib. 1. de bell. Gall.

c. 51. *Omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus constituit: quo minus multitudine militum legionariorum, pro hostium numero, valebat, ut ad speciem alariis vteretur.* Liuius quoque lib. 31. c. 21. *Dextera ala (in alas diuisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est: in subsidiis duae Romanae legiones.* Et lib. 35. c. 5. *Sinistra sociorum equitum ala, et extraordinarii prima in acie pugnabant.* Subiungit: *Equites extra aciem in locum patientem Q. et P. Minucios tribunos mil. educere iussit: inde cum signum dedisset, impetum ex aperto facerent.* Et infra: *C. Liuium Salinaturem, qui praeerat alariis equitibus, quam concitatissimos equos immittere iubet, et legionarios equites in subsidio esse.* Et lib. 40. c. 40. *Alarii equites, postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus videre, et ipsi virtute eorum accensi, in perturbatos iam hostes equos immittunt.* Hos ipsos alarios Cicero significat, cum subiungit: *equitibus auxiliariis.* et Sallustius in Iugurtha c. 50. constitutos in utroque latere tamquam alas equites auxiliares demonstrat. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 73. *Crebras stationes disponunt equitum, et cohortium alariarum; legionariasque intericiunt cohortes.* Liuius lib. 10. c. 40. *Sp. Nautius dux alariis cohortibus erat.*

Transpadanis] Trans Padum lectis, ut contra Parthos mitterentur.

Auxiliariis] Qui a populis amicitia coniunctis auxilio venerant, ut Romanas provincias a Parthis defenderent.

Ieiuni]